


liquis angulis obliquis & lateribus inæqualibus, A C tamen & B D parallelis. Secundum Schema est Trapezium cum uno angulo ad A Recto, reliquis obliquis, lateribusq; omnibus inæqualibus. In Schemate tertio nullus angulus est rectus, omniaq; latera inæqualia, duo tamen nempe A D & B C parallela. In



quarto deniq; Schemate omnes anguli sunt obliqui, omniaq; latera inæqualia, neq; ullum alteri parallelum, &c.

Multilateræ Figuræ sunt, quæ plura, quam quatuor, habent latera.

Nec hîc opus esse video, ut in plures species has segregemus, quemadmodum nec, ut rationem aliquam Regularitatis vel Irregularitatis habeamus, præsertim cum constet, nō omni figuræ multi- & æquilateræ à summis in re Mathematicâ Dictatoribus Titulum *Figuræ Regularis* concedi. Sufficit nosse, figuras quinq; , sex, septem, octo, &c. laterum, quantorumcunq; etiam, Multilateras haberi.

In omnibus autem Triangulatis in genere duo probè advertenda sunt: Resolutio nimirum eorum in Triangula, & collectio vel aggregatum omnium angulorum.

Ex his duobus posterius prioris illius quoddam quasi ex-